

minant hunc locum, & obscurant gloriam & beneficia Christi, & eripiunt pijs conscientijs propositas in Christo consolationes. Vt autem & confirmare confessionē nostram, & diluere ea quæ aduersarij obijciunt possimus, in inicio quædam præfanda sunt, vt fontes vtriusq; generis doctrinæ, & aduersariorū, & nostræ cognosci possint.

Vniuersa scriptura in hos duos locos præcipuos distribui debet, in legem, & promissiones. Alias em̄ legem tradit, alias tradit promissionem de Christo, videlicet, cum aut promittit Christum venturum esse, & pollicetur propter eum remissionem peccatorum, iustificationem & vitā æternam, aut in Euan-gelio Christus, postquā apparuit, promittit remissionem peccatorum, iustificationem & vitam æternam. Vocamus autem legem in hac disputatione decalogi præcepta, vbicumq; illa in scripturis leguntur. De ceremonijs & iudicialibus legibus Moysi in præsentia nihil loquimur.

Ex his aduersarij sumunt legem, quia humana ratio naturaliter intelligit aliquo modo legem, Habet enim idem iudicium scriptum diuinitus in mente, & per legem querunt remissionem peccatorum & iustificationem. Decalogus autem requirit non solum externa opera ciuilia, quæ ratio vtcumq; efficere potest, sed etiam requirit alia longe supra rationem posita, scilicet, vere timere Deum, vere diligere Deum, vere inuocare Deum, vere statuere, q̄ Deus exaudiat, & expectare auxilium Dei in morte, in omnibus afflictionibus, deniq; requirit obedientiam erga Deum in morte & omnibus afflictionibus, ne has fugiamus, aut auersemur, cum Deus imponit.